

2475

THESES
DE
PRÆCOGNITIS
ARTIS MEDI-
CINALIS

Quas
D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi & Excellentissimi viri

DN. JOH. RUDOLPHI

SALTZMANNI, ARTIS MEDL-
CÆ DOCTORIS EXIMII, POLIATRI EXPE-
rientissimi ac felicissimi, & in inclytâ Argentinensium
Academiâ Professoris celeberrimi, Dn. Cognati,
ac Præceptoris sui omni observan-
tiâ colendi.

*Publicè, pro ingeniali imbecillitate, tue-
ri studebit*

M. BENEDICTUS MALLEOLUS

Argentinensis

Mense Martio.

Anno

Fata Meis hls, ô præstò sInt prospera CœptIs
Arte In Pœonlā perpetVo stVDIIS.

ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPI, Anno 1618.

VIRIS

AMPLISSIMIS, MVLTIS

prudentiae nominibus eminentissimis, variarumque
rerum usu præstantissimis, Patriæ Patribus
vigilantissimis

DN. CHRISTOPHORO STEDEL, Reipub. Argentinensis
Consulari fidelissimo, è sacro regenerationis lavacro su-
fceptori suo omni observantiae cultu colendo.

DN. FRANCISCO RUDOLPHO INGOLT, ejusdem Rei-
pub. Tredecimviro meritissimo, Dn. Cognato animi
quâ par est reverentiâ & observantiâ honorando.

Viris itidem

ELOQVENTIASSIMIS, EXPERIEN-
tissimis, doctissimis

DN. MARCO FLORO Philosopho eximio, Eloquentiae Pro-
fessori florentissimo, Collegijque Thomani Decano fi-
delissimo, Dn. Præceptor, & fautori omnis honoris &
amoris cultu in æternum prosequendo.

DN. JOHAN. RUDOLPHO SALTZMANNO Medicinæ
Doctori præstantissimo Poliatro & Professori Argenti-
næ longè celeberrimo Dn. Cognato parentis loco vene-
rando.

DN. MELCHIORI SEBIZIO Juniori Medicinæ Doctori
felicissimo, ejusdemque Artis almâ in Argentinensium
Academiâ Professori acutissimo p. t. Syndico, Sanguine
juncto charissimo, & summo observantiae cultu perpe-
tuò honorando.

Hasce studiorum suorum primitias in grati animi
renuntio submisæ consecrat & offert

M. Benedictus Malleolus Argenti-
nensis A. & R.



DE PRÆCOGNITIS MEDICINAE

THESIS I.

ET si Medicina nullis omnino indigeat præconiis, (ut D. Eras. verbis utar) quod ipsa abunde per se, vel utilitate; vel necessitate commendata sit mortalibus. Ut tamen ex infinitis, quibus hujus artis præstantia, & utilitas, luce meridianâ clarius demonstrari posset, unicum tantum proferam; maximum sanè hoc est, quod & sanitatem conservat, amissam restituit, & hominem lethali morbo correptum, ac sævissimis enectum doloribus liberat. Nihil enim præstantius, optatius nihil, nihil jucundius sanitatis, & corporis robore. Cùm sine eâ, nulla reliquarum rerum voluptas, aut fructus, Hippoc. testor Principem illum medicorum, tam fallere, quam falli nescientem; ut si non pars, conditio tamè quædam felicitatis, sine quâ minimè esse queat, meritò statuatur. Idcirco cùm tanta eius sit præstantia, atque necessitas; optimè sanè ijs faciunt, qui huic animum applicant, & ad eandem penitus percipiendam omnem movent lapidem.

2. Cùm autem ad acquirendam perfectam Medicinæ scientiam, ex Divini Hippoc. sententiâ, novis mystis, huic Arti vela pandentibus, non minimum sit præsidium, Exercitatio; utpote ad honesta plus habens momenti (Ciceroni optimo dicendi Magistro fidem adhibere si placet) quam Natura: & quam omnia potest. Nam nihil tam difficile est, quod non quærendo investigari possit: de eâ etiam pauca proponere placet.

3. Ut verò, in tantâ rerum ubertate, certam aliquam habeamus, ut Cicero monet *l. i. de orat.* materiam: & major ad nos redundant utilitas, operæ pretium me facturum putavi, si, quam ad Medicinam, scientiarum omnium præstantissimam, perfectè intelligendam, præcognitu sunt necessaria; hac occasione examinanda proponerem. Præsertim, cùm omnis, teste Aristot. Philosoph. *Coryphæo A. Metaph. c. 7. t. 48.* & *l. i. post Anal. c. 1. t. 1.* disciplina ex antecedente fiat cognitione. Sunt verò juxta ejusdem præceptum *loc. cit. t. 2.* in omni doctrinâ, hæc præ-

cognoscenda; An res sit, Quid sit, & Qualis sit. De quibus singulis breuissimè dicturi sumus.

4. Primum igitur, An sit Ars Medica: cùm hoc adeo tritū, ut etiam lippis & tonsoribus notum sit, ne nodum in scirpo querere videamur, omittemus, locoque ejus, unde suæ originis initia ducat demonstrabimus.

5. Hanc autem, à Deo omnium rerum Conditore, creatam esse, non solum Hippoc. Bibliorum omnino ignarus *l. de vet. Med.* Verum etiam Sacrae testantur literæ, dum *Gen. i.* omnem herbam, lignumque frugiferum, mox ab initio Deum produxisse ajunt, ut iis homines, & ad vitæ tutelam in alimoniam uterentur, & infestantes morbos depellerent. Unde illud Syracidis viri Diuino Spiritu prædicti. *Eccles. 38.* ab Altissimo manat Medicina: Altissimus de terrâ medicamenta procreauit &c. Dominus sanat per hæc, tollitque dolorem hominis.

6. Ac quamvis ex his origo Medicinæ satis enitescat, clarior tamè fiet si cognoverimus. Deum hanc ipsam statim in Paradiso, *Gen. 2. v. 16.* exercuisse Adamum primum nostrum parentem, *Gen. 2. v. 20.* hanc calluisse Mosen, Elisam, Esaiam, Paulum Apostolum, Raphaelem Angelum hujus beneficio, naturalibus pharmacis, aquam amaram, dulcem: noxiā, salubrem reddidisse: ulcera restituisse maligna: corpora sana conservasse: oculis captis, visum restituisse: alios aliis morbis laborantes pristinā sanitatem donasse: qui tamen omnes à Deo Opt. Max. Medicinæ professore longè celeberrimo, & perfectissimo instituti & edocti fuere, ut passim Sacrae nos paginæ docent.

7. Neminem ergo adeò mente captum esse puto, qui Deum Medicinæ authorem fuisse negaturus sit. Verum cùm nullum horum de hac aliquid scriptis posteritati reliquisse sciamus; ita ut omnino aboluta, atque hominibus incognita fuisse videri possit, proximum est, ut videamus quomodo ad nos pervenerit.

8. Medicinam itaque quasi de novo hominibus Aesculapium, ab Apolline Patre institutum restituisse & rudem & impolitam paulò altius excoluisse legimus. Quem sécutus Hippocrates, qui hanc desitam ac dissolutam brevissimis, atq; argutis preceptionibus in Artem rededit. *Gal. introd. c. 1. & Meth. med. l. 3. c. 7.* Hanc verò denuò omnis generis sophismatibus, nugis, frigidis quæstiunculis, superstitionibus multis, erroribus in numeris, non commaculatam tantum, sed tenebris omnino quasi obvolutam, penèque obliteratam, Galenus à Deo excitatus, quem Heroam potius quām hominem appellamus, rursus ex tantâ teñbrarum valle, in lucem re produxit: eamq; nullà prætermissâ parte, ita illu-

2479

ita illustravit, sic perpolivit, sophismatibus liberavit, hallucinationibus purgavit, & perfectam, expolitam, omnibusque numeris ita absoluit, ut ejus scripta adhuc hodie in omnium ferè versentur manibus maximâque ejus cum commendatione vigeant: & tantum de Medicinæ ortu.

9. Sequitur ut perpendamus, Quid Medicina sit, quod alterum nostræ Disputationis est membrum. Quod omnium commodissimè ex definitione patebit. Hæc enim vim, atq; naturam rei universam continet, ut testatum facit Aristot. l.2. post. Anal. c.14.t.17. & Cicero lib.2. de fin. bon. & mal.

10. Hanc autem duplicem depræhendimus apud Aristot. l.2. post. Anal. c.10.t.9. & Gal. de diff. puls. Nominis aliam: aliam Rei. Nominalē primò considerabimus; nam nominis etiam significatio, omnis inquisitionis principium est, Gal. fin. med. Et que Medicina à medendo dicta, quod videlicet morbis medetur, ijsque medelam adhibet.

11. Essentiale quod concernit, aliter alij eam definiunt. Nobis præ reliquis insequentes Avicennæ, Hippocratis, & Galeni, medicorum principum, definitiones maximè arrident. Ars medicinalis est scientia, quæ humani corporis dispositiones noscuntur, ut habita sanitas conservetur, & amissa recuperetur Fen. 1. c. 1. Vel, Medicina est adjectio, & detractio l. de flat. Aut Medicina est scientia salubrium, insalubrium & neutrorum. Art. Medic. c. 2. At si fortè Galeni hanc esse negaveris, sed antiquorum dices; audies ipsum hanc calculo suo approbasse lib. de sect. de opt. sett. & alibi. Si verò nōdum satis tibi factum, hanc substitues: Medicinam esse artem bene medendi corporibus hominum, quæ ex ipsius Gal. verbis elicetur fin. med. & ad Thrasyb. c. 5. & alibi. Vel Medicina est ars ad humani corporis sanitatem tuendam, & profligandos morbos comparata; quæ ex eodem Gal. variis locis extriuitur. Quas definitiones ut & alias ab his ipsis authoribus, hinc inde positas, inter se pugnare non arbitramur: Achæc de altero quoque præcognito, Quid sit. Nunc ad tertium nos ordo noster, Qualis sit, deducit.

12. Ut autem hoc cognosci possit, sciendum est, ut author habet libelli de part. med. Medicinæ partes alias esse finales, primas & proximas: alias constitutrices & sine quibus illæ minimè esse possunt. Finales itaque partes esse duas; alteram sanitatis conservatricem; & curativam alteram, tūm ex definitionibus modò allatis, tūm variis Galeni locis de tuer. san. c. 1. lib. Secret. de fin. med. &c. cuivis perspicuum est.

13. Constitutrices verò & in quas docendi gratia dividitur, ex ejus-

dem sententiâ *Introd.c.7.* & *8.* quinq; esse neminem etiam latere puto;
Φυσιολογίαν scilicet Υγείαν, Αιτιολογίαν, Σημεωτικὴν & Θεραπείαν.

14. Φυσιολογία est, quæ universam hominis, & singularum humani corporis partium naturam ac constitutionem perscrutatur, & explorat: & de septem rebus, quas Medicinæ periti, Naturales nuncupare consueuerunt, differit.

15. Υγεία dicitur salubrium, quibus sanitas conservatur indagatrix, ac quo minus corpus in ægritudines incidat præcautrix; atq; iex res non naturales explicat.

16. Αιτιολογία, quam modò Παθολογίαν vocant, est quæ morborum causas, accidentium affectuumque status diligenter indagat; atq; sese circa tres res præter naturam exercet, earumq; cognitionem nobis affert.

17. Σημεωτικὴ signa & indicia tradit, atq; adeò tam integrum, quam adversam valetudinem propriissimè demonstrat: Hæcque tractat de præteriorum memoriâ; inspectione præsentium; & futurorum prædictione. Quæ certè, & ad affectuum dignotionem necessaria; & ad curandi rationem utilissima sunt.

18. Θεραπεία infestantes morbos, sedulâ manu, opero soque medicorum labore, legitimis remedijs tollere, sanitatemque restituere; ac summatim medendi methodum docet.

19. Subdividitur verò ultima hæc Medicinæ pars, in tria rursus membra, Διαιτήσιν, Φαρμακοποιητικὴν Χειρουργικὴν.

20. Διαιτήσις est, quæ victu cunctis ex æquo ægritudinibus succurrit. Φαρμακοποιητικὴ medicaminibus intra & extra corpus admotis morbos curat. Χειρουργικὴ dicitur artificiosa in Medicinâ per manus actio. Quæ definitiones singulae & ex ipso Gal. & cuiuslibet Etymologiâ ac notatione probantur.

21. Cùm autem, secundum Philosophos, alia necessaria sint præcognoscere ad docendas, discendasque artes: alia ad operationem & praxin earundem; Et nulla ars in contemplando, sed operando solùm quiescat Arist.6.Eth.c.4.de his etiam pauca dicemus. Suntque hac in arte operationis principia tria, Subjectum, Finis, & Instrumenta.

22. Primum quod attinet, novimus ex Aristot.l.1.poſt.anal.8.t.25. Omnem disciplinam circa tria versari, Subjectum, ejusdem Principia & Passiones. Medicina igitur cùm disciplina quædam sit, circa hæc tria quoque versatur. Quorum primum est, juxta Gal. ad Thrasib.num.ars med.c.28. Corpus humanum sanitatis & ægritudinis capax.

23. Alterum, sunt hujus subjecti principia, quæ nihil aliud sunt
quam

quām causē efficiētes; Sanitatem vel conservantes; vel amissam recuperantes: quod prāstant, & efficiunt cuncta auxilia medica.

24. Tertium ejusdem sunt passiones, quae signa aliās dicuntur: Et vel prāsentes dispositiones corporis indicant, & Indicantia: vel prāteritas in memoriam revocant, & Memorativa: vel futuras prānunciant, & Prognostica nuncupantur.

25. Subjectum Medico ut notum sit necesse est. I. quia artifex hoc incognito, nihil planè efficere potest, *Arist. phys. l. 2. c. 2. t. 26. Eth. l. 1. c. 13.* II. Quoniam in unaquāque re, antequam ipsa aggrediaris opera, primū Artificem fieri oportet. Artificem verò fieri nihil aliud est, quām totius artis subjectarum materierum vires tām simplices quām compositas cognoscere *Gal. de Cris. l. 2. c. 9.* Exquisitissimā autem subjecti & omnium ejus partium cum propriis singularum officiis & operationibus cognitione opus habet, quoniam alias neq; morbos curare, neque scopum sibi unicē propositum, sanitatem assequi potest: *Gal. de med. art. constit. c. 4. de arte curat. ad Glau. l. 1. c. 1.* Et hæc similiter de subjecti principiis & passionibus affirmari posse videntur.

26. At dupli ratione & viā ad corporis humani perfectam notitiam pervenimus: Una quidem per speculationem partium, Anatomiam. Altera per rationem, quam ex Physicā tanquam veram & firmam depromimus: ita ut nequaquam naturali speculacione Medicus carere possit. *Gal. in lib. si quis opt. med. &c. lib. 3. Meth. med. c. 3. Hipp. de decent. ornat.*

27. Finis hujus artis efficientem movens, est Sanitas: ut ex definitionibus, & Avicennæ potissimum, supra allatis manifestissimè apparet. Sanitatem igitur præ omnibus medicum cognoscere oportet; *Gal. l. secret. & de Sanit. tuend. l. 1. c. 1.* Quomodo enim id quod ignorat producere, aut etiam conservare poterit?

28. Quapropter sciat, Sanitatem esse affectionem naturalem, actionem perficiētem; *Gal. 1. de sanit. tuend. c. 5.* Hujus causæ materiales sunt Elementa, humores, & humani corporis membra. Formales ejusdem corporis totius, & singularum partium complexio. Efficientes, facultates omnes, à quibus corpus hominis universum, cum cunctis suis partibus regitur, & gubernatur; ad quas concurrit calor naturalis, seu spiritus, tanquam instrumentū.

29. Sanitas autem cùm non sit una, sed amplam habeat latitudinē, ejus species Medicus ut ēt cognoscat necesse est: Quorū tres sunt præcipuae. *Velenim est constans & firma, vocaturque Sanitas in habitu.*

Gale: Salubritas. Vel est in constans & labilis: ac rursus aut plurimum, aut parum à superiore recedit. Si plurimum ab illâ distat, oritur ea sanitatis species, quæ in salubritas à Gal. dicitur. Si parum, ut medium naturam inter constantem & labilem servet tertia oritur species ab eodem in arte medi. c. 4.5. & 6. neutralitas dicta. Et hunc in modum explicata & primis quasi digitis attacka sanitatem, facile quivis intelligere potest quid morbus sit: quoniam contraria contrario se habent modo, & eorum eadem est scientia Arist. prob. sect. 30. q. 8. & 12. Top. l.6. l.13. c.3.

30. Restat ut ad postremum pedem moveamus, & tandem vela contrahamus, huicque nostro instituto finem imponamus, instrumenta scilicet; quibus omnis artifex ad opus suum vel producendum & quasi signendum: vel conservandum, & resarcendum quam maxime opus habet. Quæ hac in arte medicinali sunt medicamenta varia, & multiplicia.

31. Dicitur autem Medicamentum, omne id, quod naturam alterare potest. Et in universum distinguitur in duo genera, simplex & compositum. Gal. 1. de facul. simpl. c. 1.

32. Simplex est, quod secundum naturam syncerum, & nullâ extraneâ mixtione concretum; sed eâ solâ, quam à naturâ adeptum, est. Compositum, quod arte & industriâ alienis mistum atque confusum, & quam à naturâ synceritatem nactum est, amplius non obtinet.

33. Quæ etiam vero atque fideli Medico ad amissim omnia & singula sunt cognoscenda. Horum enim vires, virtutes & efficaciam si ignorabit, aut non exactè noverit, quâ quæso ratione, illis uti, & subiecto suo, vel conservandi, vel recuperandi Sanitatis gratia adhibere feliciter poterit? Fxit itaque Deus O. M. & sanitatis & curationis, omniumq; remediorum author, ut hæc cuncta ad sui nominis gloriam, atque proximi nostri salutem & commodum cognoscamus: Hocque ut prosperiori cum successu consequamur, ut nobis, & Sacrosanctum suum Spiritum, & Præceptores hujus artis utilissimæ peritissimos filiolissimè nos docentes, tanquam coadjutores optimos clementer latigatur, ex intimis cordis nostri visceribus nunc, & semper eundem submissè & devotè oramus, & rogamus.

F I N I S.

Univ. Bibl.
München